

per quos pacis tranquillitas impeditur, victricibus aquilis exeamus acquisituri pacem fidelibus, quos angit diuturne guerre vexatio, et tot continuatis laboribus, quorum participes existere non cessatis, imposituri finem actore Domino vestris desideriis expectatum, non persone nostre parcere volumus, ut [cum] fidelibus nostris a tot anxietatibus laboriosi temporis expensarum et gravaminibus, quas affert necessitas temporis et guerrarum, sub estivis pulveribus et sudoribus bellicis relevemur. Quapropter fidelitatem vestram maturius prevenimus expressim sub debito fidei, qua nobis et imperio tenemini, precipiendo mandantes universis et singulis et communi et vobis omnibus sub pena gratie nostre firmiter iniungentes, quatenus in armis et equis magnifice conemini vos parare, tam balistariis quam ceteris oportunitatibus vos premunire curantes, iuxta quod per comitem Symonem Theatinum, ipsarum partium capitaneum generalem, dilectum fidelem nostrum, poteritis certius edoceri^{a)} omnimodam opem et operam impensuri, ut una cum eodem comite Symone, cui curam^{b)} congregandi exercitus per iurisdictionem suam duximus committendam, primo venturis Kalendis mensis Madii ad felicem expeditionem nostram, ubicumque fuerint victricia castra [nostra], vos cum totis vestrarum virium conatibus conferatis conatus et vires vestras tam laudabiliter ostensuri, quod vestra digna se offerat remuneratione devotio, per quam favorem nostrum et gratiam vestris meritis vendicetis.

III.

Die kaiserlichen Großhofrichter P(etrus) de Vinea und Thaddeus de Suessa bitten den Grafen Simon von Chieti, über sein Befinden und die Lage in Viterbo und Umgebung zu berichten, und kündigen das baldige Erscheinen des Kaisers an.

(Um den 10. September 1243)¹⁾.

Hs. fol. 24^d.

Nobili viro domino comiti Symoni Theatino dilecto amico eorum P[etrus] de Vinea et Tadeus de Suessa magne imperialis curie iudices salutem.

Rumores varii, qui auribus nostris relatione plurium de Romana curia sonuerunt, nos in anxietate nimia posuerunt, dum de statu vestro

^{a)} poteritis certius edoceri dilectum fidelem nostrum *Hs. mit nicht ganz eindeutigem Umstellungszeichen* ^{b)} circa *Hs.*

¹⁾ Zur Datierung oben S. 179 Nr. 30.